DISSERTATIO JURIDICA DE FERIIS,

QVAM

ANNUENTE

DIVINA GRATIA,

ET

CONSENTIENTE

MAGNIFICA FACULTATE JURIDICA IN ILLUSTRI UNIVERSITATE AD SALAM;

SUB

PRAESIDIO

PETRI PANCRATII Krauß/

JURIS UTRIUSQVE LICENTIATI,

Publico Eruditorum Examini proponit

IN AUDITORIO JCTORUM

d. August.

Horis antemeridianis consvetis

IOHANNES GEORGIUS Zentgraff/

Suinfurtensis Francus.

Typis Bauhoferianis.

M. DC. LXVI.

DEO.

BONO CUM DEO!

CAPUT I.

De

DEFINITIONE.

§. I.

FEriarum tractationem nobis suscipientibus, absque omni prolixitate & verborum ambagine rem ipsam adgredimur, inque vestibulo statim definitionem Feriarum investigamus.

§ II. Cum autem Definitionem dari duplicem, Nominalem & Realem ex Philosophorum praeceptis constet, de utraque paucis dicendum erit.

§. III. Ad Definitionem itaque Nominalem pertinet (I) Etymologia seu derivatio voculae Feriarum, de qua DD. non unam atque eandem fovent opinionem. Alii enim Ferias à feriendis victimis & hostiis dictas esse perhibent, quòd hisce diebus litare & sacrificare consuetum fuerit, *Briss. Lib. 1. Form. pop. Rom. p. mihi* 18. unde & ipsae hostiae ab hostire, quod olim ferire significabat *Treutl. v. 1. D. 5. §. 9.* feriae nominantur, *Wesenb. ad ff. de fer. n. 2. Fest. lib. 6. Hopper. Lib. 2. de Jur. art. c. 3. Zas. ad ff. de fer. n. 1. Gell. lib. 4. Noct. Attic. c. 6. Damh. in prax. civ. c. 119. n. 3.* Alii ab Epulis ferendis, eò quòd in his epulae ex pecorum frugumque proventibus fierent, derivant. *Briss. in Lex. Jurid.*

rid. sub voce Feria. Hun. v. 1. D. 5 §. 9. Aliis dicuntur quasi fœriæ, quod præstent feriæ vacationem ab iis, quæ in foro judiciali tractari & agi consueverunt, *Azo in tit. C. de fer. n. 1. Hostiens. in Summ. de fer. n. 1.*

§. IV. (II) Homonymia. Sumitur autem vocula Feriarum (1) latè, quando denotat ferias humanas, quibus obponuntur dies juridici, *l. 2. & 6. C. de fer. Nobiliss. Dn. Struv. in S. J. C. D. 5. §. 33.* (2) Latiùs, uti apud antiquos singulæ in septimana dies feriæ appellabantur, ita ut dies Solis prima, Lunæ secundæ, Martis tertia &c. feria foret. *Pac. in Isag. Decret. ad tit. de celeb. miss.* (3) strictè, quò casu denotat illos solùm dies festivos, qui ad cultum divinum dicati & ordinati sunt. *Bach. ad Wesenb. de fer.*

§. V. (III) Synonymia. Dicuntur aliàs feriæ dies quieti à litibus, induciæ, pax, tempus mutum à judiciis, *Cuj. ad Cod. de fer.* dies feriatici, *l. 2. ff. de fer.* dies feriati, *l. si feriatis. 6. & 9. ff. d. t. l. 36. ff. de recept. qui arb. recep. l. 12. ff. de publ. jud. l. 11. §. 6. ad L. Jul. de adult. l. 4. C. quomod. & quand. jud. sent. l. tempora. 2. in f. C. de temp. & reparat. appell.* menses feriati, *l. 5. C. de fer.* festivi dies, *Azo in T. C. de fer. n. 1. inf.* dies non juridici, *l. 7. in pr. C. de fer.* nefasti dies, in quibus lege & jure experiri non licet. *Wesenb. ad ff. de fer. n. 2.* Hinc *Ovid.*

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.
Festus erit, per quem Lege licebit agi.

(Sunt autem tria illa verba prætoriæ jurisdictionis: do, dico, addico. *Varr. 5. de ling. lat.*) Justitium, quasi juris stitium, quòd jus tum staret, nec ulteriùs progrederetur, *Wesenb. d. l. Hun. v. 1. D. 5. §. 9.*

§. VI. Definitionem Realem quod jam concernit, alii aliter ferias definiunt. Dicunt Eas esse dies cessationis ab operibus & à forensibus negotiis, partim ob ho-

norem

norem Dei, partim ob hominum utilitatem introductas. *Arnold. de Reyer. in suo J. Thesaur. sub tit. de fer.* VEL: Esse dies feriatos, quibus forensibus negotiis & juri dicendo judices vacare, nec sui copiam facere consueverunt, *l. 1. 5. 6. & 9. ff. de fer. l. 7. C. d. t. cap. 1. & f. X. eod. Hun. v. 1. D. 5. §. 9. Hotom. in Epit. Jur. de fer. Wesenb ad ff. de fer. n. 2.* VEL: Esse dies ab actibus judicialibus vacuos. *Nobiliss. Dn. Struv. S. J. C. D. 5. Treutl. v. 1. D. 5. §. 9. per l. 9. ff. de fer. l. 7. & f. C. eod cap. conquestus. X. d. t. Ummius ad process. jud. disp. dir. 7. §. 8.* VEL: Esse tempora muta à judiciis: dies quietos à litibus: dilationes omnium litium: dies aut cultui divino, aut colligendis fructibus seu alii rei destinatos, quibus judicialis strepitus conquiescat. *Cuj. ad C. de fer. Wesenb. d. l. Harpr. in Tr. de proc. judic. Decad. 5. concl. 9. n. 1.*

CAPUT II.

DE DIVISIONE.

§. I.

VAriæ & multiplices quidem feriarum dantur divisiones, præprimis tamen à DD. dividuntur in publicas & privatas, *Specular. §. 1. n. 1. de fer. Wesenb. ad ff. de fer.* in stativas, conceptivas, imperativas & nundinales. *Macrob. Satur. lib. 1. c. 16. Greva. concl. 53. cons. 2. n. 1. Hotom. & Ravard. lib. 5. var. c. 19. Treutl. D. 5. §. 9. v. 1. Tholos. in S. J. Univers. Lib. 2. c. 16. Sichard. in Cod. de dilat. Rosin. de antiq. Rom.* qui aliis adhuc quoque modis ferias dividunt.

§. II. Nobis, salvô aliorum judiciô, placet ea feriarum distinctio, quâ aliæ dicuntur sacræ & divinæ, aliæ profanæ & humanæ, *Franc. Duar. c. 1. de fer. Ant. Fab. lib. 3. eod. c. 11. definit. 2. n. 6.* Utræque subdividi possunt in ordinarias & extraordinarias. *Ludov. Gilbaus. cap. 5. Ramus. c. 6. n. 1. Matth. Steph. in Oecon. Jur. Civ. lib. 4. c. 12. n. 2.*

§. III. Ad ferias sacras ordinarias referimus solennes illas & anniversarias, quæ in honorem & reverentiam Dei, cultûsque divini gratiâ sunt institutæ, certisque temporibus revertuntur. Pertinent huc festa tàm majora seu augustiora, die hohen Festtage / quàm minora; tam mobilia, quàm immobilia, quippe cum eâ solùm de causa, quòd non semper in eundem incidunt diem, haut desinant esse solennia, *Dn. Franzk. in com. ad ff. de fer. Meier in colleg. Argent. h. t.* Tales feriæ sunt omnes dies Solis & Dominici, Natalis Christi, Festum circumcisionis, Epiphanias, Passionis, Resurrectionis & Adscensionis Christi, &c. vid. *Hospin. Tr. de. orig. Fest. Christian. Didac. Covarruv.* 4. *var. resol.* 19. *Rulant. de commissar. P. 1. L. 5. c. 5. n. 1. Dn. Franzk. d. l. Speckhan.* 1. *q.* 61. *Christin.* 3. *dec. Belg.* 58.

§. IV. Ad ferias autem sacras Extraordinarias referuntur Repentini dies festi, qui ob bonum vel malum, quod fortè contigit, instituuntur, ut DEO gratiæ vel agantur, vel ad avertendam pœnam preces offerantur. Hæ feriæ licèt regulariter & de sua natura, uti citò nascuntur, ita subitò etiam moriantur & desinant; fit tamen aliquando, ut præter ipsarum naturam diutiùs durent, ita ut vel quotannis posteà illarum memoria recolatur, vel tamen tamdiu, quamdiu necessitas & malum præsens efflagitat, continuentur. Quô casu non amplius ferè pro extraordinariis, sed ordinariis feriis habendæ erunt. Pertinent huc dies natalitii principum; & feriæ, quas pœnitentiales vocant, die Buß- und Beet-tage, &c.

§. V. Humanis & profanis feriis ordinariis haut malè annumerantur illæ, quæ indictæ dici solent, & vel (1.) colligendorum vindemiæ, messis & aliorum fructuum causâ in-

sà instituuntur, *Gl. ad art.* 10. *Lib.* 2. LandR. *in verb.* Die andern gebundene Tage aber. *Harpr. D.* 2. *de proc. jud. c.* 5. *concl.* 60. & 61. vel (2.) mercatuum publicorum & solennium gratiâ indicuntur. Nam mercationes & nundinæ hebdomatales, die Wochenmärckte/privatæ sunt, nec huc pertinent.

§. VI. Ferias denique profanas extraordinarias quod attinet, veniunt illæ sub nomine illarum repentinarum, quæ pro re nata & causis inopinatis nullâ certâ lege aut tempore introductæ sunt, sed ob publicam gratulationem & remp. benè aut infeliciter gestam extra ordinem repentinò instituuntur, nunciantur & indicuntur. Harum certæ species non dantur, sed ex variis causis variè & ex arbitratu indicentis distinguuntur, *l.* 26. §. 7. *ff. ex quibus causis maj.* Tales feriæ v. g. sunt natalis recens nati filii, (hinc *Martialis*: Natalem colimus, silete leges.) dies coronationis, nuptiarum, vel qui ob victoriam ab inimicis reportatam feriari mandatur. *Gl. ad art.* 10. *L.* 2. LandR. *sub verb.* Auch seind noch andere.

CAPUT. III.
DE CAUSA EFFICIENTE.

§. I.

Causa Efficiens est vel proxima vel Remota. Remota Feriarum causa Efficiens est (1.) Jus divinum, quod jubet dies feriatos sanctificari, *Gen.* 20. *v.* 8. *Exod.* 13. *v.* 12. *c.* 31. *v.* 14. (2.) Jus Naturæ, quod omnibus dictitat DEUM esse colendum. (3.) Jus Gentium, ex quo sunt judicia, contractus & commercia. (4.) Jus Canonicum & Civile, quæ non modò certos dies feriatos esse volunt, sed etiam illis certam tribuunt formam. &c. Hæcque omnia pro impulsiva causa habent utilitatem & necessitatem.

§. II.

§. II. Circa proximam feriarum causam Efficientem non consentiunt DD. Quidam solum Imperatorem ferias (præprimis imperiales) indicere posse arbitrantur, adeò, ut cum alii ferias instituant, ipsæ nec nomine, nec effectu veræ sint & dici debeant feriæ, *l. 4. C. de fer. ibiq. Gothofr. in not. l. Z.* Alii Pontificem, Magistratus majores, utpote Dictatores, Consules, Proconsules, Prætores Præsidesque feriarum indicendi potestatem habuisse probare satagunt *per l. 7. ff. de off. proconf. l. 26. §. 7. ff. ex quib. caußis maj. l. præsides. 4. ff. de fer. l. 9. C. eod. Wesenb. de fer. ad ff. num. 4.* Alii Regem sacrificulum indixisse ferias sacrorum ritè peragendorum gratiâ; prætorem verò ferias solius vacationis causa à forensibus negotiis, *Revard. 5. var. 19. Gell. & Macrob. alleg. ab Hun. v. 1. D. 5. §. 9.*

§. III. Nobis per distinctionem nostram exponere mentem placet, ut dicamus Imperatorem & Status Imperii concedere in imperio nostro ferias universales; Statûs in suis territoriis generales: Magistratus vero oppidanos indicere ferias speciales. *Umm. D. ad proc. jud. 7. Macrob. 1. Saturn. 6. Greva. conf. 2. concl. 53.*

§. IV. De Pontifice, cùm non habeat majestatem, nec jus condendi ferias universales ipsum habere putamus. Nec juvat ipsum Calendarium Annô 1582. à Greg. XIII. reformatum, quod statibus imperii & imperatori obtrudere tentavit. Rectè enim illud à nostratibus fuit rejectum ob defectum potestatis Pontificiæ constituendi mutandive ferias, & quòd illud contra pacificationem religiosam & Recessum imperii de Anno 1555. obtruderetur. *Dn. Struv. S. J. C. Ex. 5. §. 38. Dn. Hahn. ad Wesenb. de fer. Syring. de pac. relig. § 32. Speidel. in not. ab. verb.* Kalender.

 CAP.

CAPUT. IV.
DE CAUSA MATERIALI.
§. I.

Materiam feriarum quod attinet, constat, quòd omnes actus, qui contentiosæ sunt jurisdictionis, sive publici sint, sive privati, regulariter diebus feriatis exerceri prohibeantur, *l. 7. §. & f. C. de fer. l. pen. verb. à forensibus. ff. eod.* LandR. *art. 10. Lib. 2. circa verb.* in gebundenen Tagen. *& art. 11. inf. art. 66. ibi.* heilige und gebundene Tage. qui verò nullam exigunt causæ cognitionem & voluntariæ sunt Jurisdictionis, extraque judicium peragi possunt, quôlibet (ferè, *Dn. Struv. S. J. C. D. 5. §. 35.*) tempore etiam feriato explicari possint. *l. 8. C. d. t. l. 3. §. 1. ff. & cap. f. X. eod.* Rationem *Andr. Vallens. ad Decret. tit. de fer.* putat esse hanc, quòd judicialia non ita sint necessaria ad hominum vitam & sustentationem, uti alia opera extrajudicialia. Hinc pacta, transactiones, Emancipationes, manumissiones, adoptiones, causæ alimentorum, incarceratorum, pupillorum, viduarum atque miserabilium personarum etc. feriis expediri possunt, *l. 2. §. C. d. t. Geil. 1. O. 53. n. 13. Rebuff. ad privil. stud. privil. 4. Dn. Struv. d. l. Besold. in delib. jur. 10. de fer.* qui addit, licere diebus festis facere testamentum & conficere inventarium super contractibus. Quod verò negat *Dn. Hahn. ad Wesenb. de fer.* dicens, quod etsi instrumenta scriptum habeant subinde diem sacrum v. g. nativitatis Baptistæ Johannis etc. id tamen eam tantùm ob causam atque rationem fieri, quò tempus illud v. g. solvendarum usurarum, eò melius constare & memoriæ imprimi possit.

§. II. An Citationes diebus Festis rectè fiant & exequantur? Controvertitur inter DD. Sunt qui negant, *Treutl. v. 1. D. 5. §. 9. Hunn. v. 1. D. 4. §. 4. Specul. de citat. art. 19.*

n.3. Wurmbs. lib.1. pract. observ. T. 6. obs. 4. Aliis contrà affirmativa placet sententia, *Geil. 1. O. 53. n. 5. Abb. ad c. f. X. de fer. Wesenb. de fer. n. 8. Andr. del Vaulx. de fer. n. 13.* Distinguimus nos, an (1) quis directè & expressè ad feriatum diem sit citatus, quô casu non valere citationē arbitramur ob prohibitionem *l. f. C. de fer.* nisi causa talis sit, de qua etiam die festo agi possit. *Hun. v. 1. d. 4.* An verò certus dies feriatus non fuerit in citatione expressus, aut tamen additum, quod citatus teneatur proximô die habili juridico comparere; uti in Camera imperiali ejusmodi clausulam ferè semper adjici solere dicit *Geil. d. l. Zoes. ad ff. de fer. Perez. ad Cod. d. t. n. 9. Andr. Vallens. ad decret. t. de fer.* (2.) distinguimus inter citationis insinuationem, & causæ, ob quam quis citatus est, Cognitionem & executionem. Prius diebus feriatis quin expediri possit non dubitamus; contrà de posteriori negamus. *Dn. Hahn. ad Wesenb. d. l.*

§. III. An supplicationum & libellorum oblatio diebus festis fieri possit? quæritur. Nobis, cùm nullam causæ cognitionem requirant, nec sint de processu judicii, videtur affirmativè respondendum esse per *l. 11. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. C. de fer. inf.* Consentiunt *Mejer. in colleg. Argentor. de fer. n. 20. Marant. in Spec. aur. p. 6. memb. 3. de libel. oblat. Bald. in l. 2. §. f. ff. si quis in jus voc.* Parti tamen adversæ die feriato libellum offerri & præsentari haut posse putant nonnulli DD. per *l. f. C. de fer.*

§. IV. An Testes tempore feriarum examinari possint? quæritur. Negamus per *l. 2. C. de fer. l. actus. l. f. C. eod. c. decrevit. q. 5. c. 22.* ubi nullum juramentum diebus feriatis, nisi de concordia & pacificatione permitti debere dicitur. Ad perpetuam tamen memoriam, urgente ita necessitate, senes & valetudinarios quôvis die feriatô posse examinari putat *Bald. in l. 1. §. 2. C. de fer. Suarez. lib. 2. c. 3.*

§. V. An

§. V. An de fuga suspectus die festô rectè capiatur & custodiæ tradatur? quæritur. Affirmamus, ita ut finitis feriis judicio sisti cogatur, *l. 1. §. 2. ff. de fer.* Consentit *Zoes. ad ff. de fer. n. 6. Marant. p. 4. dist. 16. n. 92. Gl. ad l. f. C. de fer.* ubi enim periculum est in mora, à regulis juris communis receditur, *l. 5. §. 12. ff. de nov. op. nunc. l. 5. de pet. her.*

§. VI. De Sententia quoque disceptatur, an illa diebus festivis fieri possit, & an lata validè subsistat? Plurimis arridet negativa Sententia per *l. 6. 7. & f. C. de fer. l. 1. 6. ff. eod. Joh. Petr. de Ferrar. in tit. de form. appell. ac interloc. Nicol. à Salis ad l. 6. C. d. t. Wurmbs. T. 6. O. 4. Greve. ad Geil. concl. 1. conf. 1.* Placet tamen distinctio inter ferias Divinas & humanas, necnon an partes litigantes consentiant, nec ne. (quam distinctionem etiam in aliis quæstionibus applicari debere omninò monemus) uti etiam casum necessitatis haut quaquam hîc negligendum esse arbitramur.

§. VII. An quoad appellationem tempus feriarum præstet impedimentum? non ineleganter disquiritur inter DD. Et cùm appellatio per se favorabilis sit, *Gl. & Panormit. c. f. X. de fer.* facileque aliàs fieri possit, ut sententia iret in rem judicatam, innocensque obprimeretur, placet negativa sententia, sub hac tamen distinctione, ut quôlibet feriatô tempore in qualibet causa adpellari quidem possit, cum illud non præcisè requirat, ut in judicio expediatur, potest enim etiam extra judicium insinuari adpellatio; de ipsa tamen adpellationis causa, & an appellationi deferendum sit, nec ne, eô tempore cognosci & tractari haut debeat, per *l. 1. C. de fer. ibique Gl. Meier. in coll. Argentor. de fer. n. 21. Bocer. class. 6. d. 16. §. 33. Azon. in t. C. de fer. n. 6. Guid. Pap. consil. 205. n. 11. Speculat. de fer. §. 2. n. 2.*

§. VIII. De Studiis quæritur, an illa diebus feria-

cis tractare liceat? Placet id *Gl. in l. 9. ff. h. t. Thom. de Aquin. q. 122. art. 4. Andr. del Vaulx. de fer. n.* 10. Displicet *Jason. in l. 9. ff. de fer. Ant. de Butrio in c. 1. X. de fer. Damhou. in prax. civ. c.* 119. *n.* 10. Distinguit *Abbas in c. 1. X. de fer.* an quis lucri causa, an Veritatis inveniendæ ergò die festô studeat. Posterius licere existimat. Nobis sacris meditationibus diem dominicam præprimis transigendam esse persuasum habemus per *c. jejunia. 16. d. 3. de consecr.*

§. IX. Sic etiam opificia venerabili die Festo adquiescere debere, nisi inevitabilis necessitas aliud postulet, credimus.

§. X. Piscatio & captura halecum feriatis diebus conceditur *c. 3 X. de fer.* quòd non semper, sed certis anni temporibus halecum copiam mare agat in littus. *Dan. Soto. L. 2. de J. & J. q. 4. art. 4.*

§. XI. Pariter agricolis & vinitoribus cultura agrorum & vinearum in *l. 3. C. de fer.* ut & fructuum collectio diebus feriatis permittitur, ne pereat commoditas & benedictio cœlesti provisione concessa, *c. 1. X. de fer.* modò tamen justa & sufficiens urgeant utilitas & necessitas. *Forcatul. dialog. 63. n. 1. Donell. lib. 15. com. J. Civ. c. 33. ibiq. Hillig.*

§. XII. A ludis autem scenicis, certaminibus & omnibus voluptatibus minùs licitis atque honestis, diebus festivis prorsus esse abstinenendum dicimus *per l. 7. & f. C. de fer. Just. Mejer. in coll. Argent. n. 13.*

CAPUT V.
DE CAUSA FORMALI.

§. I.

FOrma & modus colendarum feriarum partim LLbus præscribitur, *l. 2. l. omnes dies. 7. C. de fer. Wesenb. in parat. ad ff. de fer. n. 6.* partim ex usu & consuetudine, quid obtineat,

fieat, addisci debet, *Umm.disp. ad processs.jud. dir. 7. Coler. ad c. 2. n. 31. de except.* partim ex arbitrio superioris dependet.

§. II. Sic enim de J. Civ. feriæ messium incipiunt ab 8. Kal. Jul. durantque ad Cal. Aug. Vindemiarum autem feriæ à 10. Kal. Sep. ad Id. Octob. continuantur *per l. 2. C de fer.* Quod tamen aliquando non adeò adcuratè per omnia ol servari solet. Sic enim quibusdam in locis tempestivius fructus maturantur, quàm in aliis, ideoque pro obcasione cujuslibet regionis & fructuum necessitate alibi citius, alibi tardius indici & constitui solent tempora harum feriarum, *l. 4. ff. de fer.* ne commodum cœlesti munere datum temporis ratione non habitâ pereat, *l. 3. 7. C. d. t. Specul. d. l. n. 4. §. 1. Jason. l. 4. de fer.*

§. III. Hodie in Camera Imperiali *Ummius in D. ad proc. Jud. dir. 7.* pro festis haberi dicit præter dies dominicos 24. Dec. usque ad 11. Jan. Esto mihi usque ad proximum sequentem Jovis diem: Paschatis festum usq; ad sequentem proxumè diem Jovis: Vocis Invocavit dies usq; ad sequentem veneris proximum diem: Pentecostes festum usq; ad proximum sequentem Jovis diem: Dies 12. Apostolorum, Trium Regum, Purificationis, Annunciationis, Assumtionis & Nativitatis B. Mariæ, inventionis crucis, Marci, Lucæ Evangel. Adscensionis & corporis Christi, Joh. Bapt. Laurentii, Michaelis, omnium Sanctorum, omnium animarum, Martini & Catharinæ. Dies Caniculares nefasti sunt à d. 8. Jul. ad 14. Aug. *Ord. Cam. p. 3. t. 33.* §. vom achten. Messium verò & vindemiarum tempus ab exercitio judiciorum non esse immune dicit *Umm. d. t.* quod tunc causæ imperii potissimum per adpellationem devolutæ excutiantur.

§. IV. De computatione temporis feriarum non parum dissentiunt etiam DD. Putat enim dies festos de vespera in vesperam computandos esse *Covar. c. 19. n. 9. t. 1.*

 & 2.

& 2. X. de fer. Exod. 12. v. 18. Levit. 23. v. 5. De aliis autem feriis notat *Wesenb. in Comm. ad Cod. de fer. n. 25.* illas incipere à media nocte, & mediâ quoque nocte rursus finiri, idque maximè de J. Civili obtinere. Cum quo facit etiam *Alb. Gent. de div. temp. appell. c. 5.* Sed *Hostiens. in sum. d. fer. n. 3.* arbitratur, quoad judicia ferias de mane in vesperam esse computandos. Nobis cum *Alex. III. in c. 2. X. de fer.* videtur hæc imprimis consuetudini & usui, nec non magistratus arbitrio relinquenda esse.

§. V. Qu. Cujus feriæ, utrum Actoris, an Rei, an Judicis, observari debeant, si illæ forte discrepant? Regulariter putamus judicis ferias hic attendendas venire, idque (1) quia feriæ dicuntur, quibus judicialis strepitus conquiescit, & judex sui copiam sive potestatem non facit. (2) Solet locus contractus præprimis adtendi, *l. si fundus. 6. ff. de Evict. l. semper, 34. ff. de R. J.* atqui in loco judicii quasi contrahere censentur litigantes, litem contestandô. Ergo. *Gail. 2. O. 123. n. 2. Coler. ad c. 2. X. de Except. n. 32. Dn. Frantz. in comm. ad ff. h. t.* (3) quia ubi agitur de ordinatione judicii, attenditur consuetudo loci & fori, in quo exercetur judicium, non verò consuetudo litigantium. Non tamen per hæc negamus, quod non etiam aliquando Actoris & Rei feriæ sint attendendæ, eô præprimis in casu, quando Actor & Reus diversarum, in Imperio tamen permissarum, sunt religionum, indequè diversis diebus ferias colunt. Rectè enim dicit *Hun. ad Tit. de fer.* neminem à piis precibus esse avocandum, *l. f. C. de fer.* Consentit *Dn. Struv. S. J. C. de fer. Bach. ad Tr. v. 1. D. 9. §. 9.* Contrarium placet *Speculat. de fer. n. 5. §. 1.* volenti Rei ferias esse observandas, utpote in cujus favorem illæ inductæ videantur, præsertim cùm actor & judex sibi providere possint, ne aliquem vocari faciant tempore feriarum, quæ in suis locis servantur.

CAP.

CAPUT VI.
DE CAUSA FINALI.

§. I.

DE fine feriarum ut paucissimis etiam agamus, constare posse arbitramur ex hactenus dictis, illum quoad Ferias sacras esse cultûs divini præstationem, & ut multitudo, curiis profanis neglectis, sacris meditationibus, precibus & gratiarum actionibus det operam, *Gen. 2. v. 3. Exod. 12. v 14. l. omnes. 7. & l. f. C. de fer. vid. Dn. Hülseman. in suo Breviario,* ubi de Tertio præcepto addit, quod licet hoc præceptum non speciem certæ ceremoniæ & ad certum diem ex lege Mosaica, tamen in genere ad cultum DEO certó tempore præstandum, omnes ex ipsa L. Naturæ obliget, utpote quæ vult, Deum esse colendum.

§. II. Profanarum feriarum finis partim est fructuum collectio, ut scilicet litibus vacui agricolæ & vinitores colligendis tempestivé fructibus vacare possint, *l. 1. ff. de fer. l. 7. C. eod.* partim (nundinarum videlicet) necessariarum rerum comparatio; partim publici gaudii luctusve participatio.

CAPUT VII.
DE EFFECTIBUS.

§. I.

EFfectus feriarum multiplex sané est, nobis in præsentiarum de aliquibus tantùm effectibus quædam brevibus exponere placet atque sufficit.

§. II. Præterquam autem quod judices diebus feriatis tribunali assidere non tenentur, sed illis quoque danda est requies, *l. sed etsi prætorem. 26. §. si feria. ff. ex quib. causis maj. Geil.* 1. *O. 53. Thesaur. Dec. 39.* etiam, si forté ipsi nihilominus feriis tractandi prohibita suscipere tendunt,

par-

partes litigantes adstricti regulariter haut sunt ad comparendum ac judicata faciendum, *l. si feriatis diebus. 6. ff. de fer. l. 7. & f. in f. C. d. t. cap. f. C. d. t. cap. f. X. eod. circa f. cap. f. X. de jud.* nec propterea in pœnam contumaciæ condemnari possunt, *l. 4. C. quomod. & quand. jud. Andr. Vallens. ad Decret. de fer. n. 2.* sed judicata & sententia sunt ipso Jure nulla. *Jas. in l. 4. n. 3. de fer. Vasq. 5. illust. quæst. cent. 27. n. 3.*

§. III. Nec obficit, quòd lites cursim expediri aliàs intersit, ne fiant immortales, *l. 21. in f. ff. de R. C. l. properandum. 13. in pr. & §. 1. C. de jud. cap. jurgantium. X. de sent. & re jud.* cum ab Imperatoribus *in l. 7. & f. C. de fer.* expresse constitutum sit, ut in feriis taceat apparitio, delitescat advocatio, præconis horrida vox silescat, partiumque jura differantur.

§. IV. Est itaque Exceptio feriarum ex earum numero, quibus judicium non quidem in totum declinatur, ad interim tamen differtur, *l. 2. §. 4. l. 3 ff. de Except.* & cum gravamen habeat subcessivum, actumque continuum comprehendat, rectè obponi illam posse in qualibet parte judicii putamus cum *Zanger. de Except. p. 2. c. 7. n. 4. Dn. Hahn. ad Wesenb. de fer. n. 7. Bach. v. 1. D. 5. §. 9.*

§. V. Non autem judices solùm diebus feriatis vacare debent juridicendo, sed etiam arbitri tàm ab ipsis judicibus, quam per compromissum à partibus litigantibus electi, *l. 7. vers. ut nec apud ipsos arbitros. C. de fer.* cum arbitria & compromissa ad similitudinem judiciorum redacta esse dicat *l. 1. l. 32. §. 9. verb. sed compromissum. ff. de recept. qui arb.* Quod tamen in arbitratore sive amicabili compositore secus esse non malè forsitan arbitramur, siquidem lites tantùm, & quæ ad contentiosam jurisdictionem pertinent, die feriatâ cessare jubentur, *l. f. §. 1. C. de fer.*

Panorm.

Panorm. in cap. f. X. eod. Andr. Vall. ad Decret. eod. Arbitratores autem secundum DD. quosdam non ad lites, sed alios actus extrajudiciales adhibentur.

§. VI. Illud autem, quod diximus sententiam diebus feriatis latam ipsô jure esse nullam, multis atq. variis declaratur & limitatur modis. Sic enim fallit (1) in causis summarijs, & quæ sine strepitu judicii peragi queunt, quæque nullam cognitionem desiderant, *l. 2. §. 1. ff. quis ord. in poss. serv. Zang. p. 2. c. 7. n. 10. de Except.* (2) in illis, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, *l. 2 ff. de fer. l. 8. C. eod.* (3) in causis pietatis, operibus misericordiæ & charitatis Christianæ, *cap. conquestus. verb. vel pietas suadet. X. de fer. l. 1. §. f. cum leg. seq. ff. d. t. Geil. 1. O. 53. n. 13.* unde illud:

Non rectô servat legalia sabbatha cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.

(4) in illis, quæ cum ingenti utilitate & necessitate conjuncta sunt, nullamque admittunt moram, *cap. f. cap. 3. X. de fer. l. 1. §. 2. l. 3. in pr. l. pen. ff. eod. l. 5. C. d. t. l. custodias. 12. ff. de publ. jud.* Nam ubi periculum est in mora, receditur à regulis J. communis, quodque lege non est licitum, necessitas facit licitum, *cap. quod non est. X. de R. J.* Hinc pulcrè Scævola consultus quidnam feriis agere liceret, respondit: id quod prætermissum noceret. (5) in atrocibus delictis cum publico scandalo commissis. Statim enim judicari & puniri illa possunt, si ad publicum exemplum ita expediat. Hinc inquit *Andr. Vallensl. in Decret. de fer.* hæreticos diebus festis judicari & puniri, ut tantò major sit populi concursus ad aliorum terrorem. Facit huc *l. provinciarum. C. de fer. l. publicas. C. eod.* (6) sic etiam sententia non est nulla tempore feriarum lata, si partes consen-

 tiunt,

tiunt, *l. 1. ff. de fer. Speculat. D. t. §. f.* quod tamen universaliter & in omnibus feriis non obtinet, sed pro substrata materia est explicandum. *Bald. in l. 1. in f. C. de fer. Menoch. 1. quæst. 30. Umm. D. ad proc. jud. dir. 7. qui Vasqu. 5. illust. controv. 27. n. 3. dissentienti respondet.* Plures Exceptiones videre est apud *Just. Meier. in coll. Argentor. de fer. n. 9. Zerol. in prax. P. I. in V. Fest.* quæ tamen omnes ferè ad sequentes versiculos vulgares redigi possunt:

Hæc faciunt causas festis tractare diebus:
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura,
Terminus expirans, mora, testis abesse volentis,
Cumq́ potestatis patriæ jus filius exit.

§. VII. Non tantùm autem Exceptio feriarum messis & vindemiæ prodest iis, qui tempore eô obcupati sunt, sed etiam illis, qui obcupati talibus negotiis non sunt, (1) ob generalitatem Edicti *in l. 1. ff. de fer.* LandR. *art. 10. & 11. Lib. 2. verb.* in gebundenen Tagen. uti enim dispositiones legum sunt generales, *l. 3. C. de LL.* ita & beneficia LLbus proposita generatim competunt, & ad omnes pertinent. (2) quia ipsa æquitas suadet. Fieri enim potest, ut licet ipse principalis per se non egeat hujus beneficii, ejus tamen Procurator, Testis, Advocatus &c. messem fortè sperat. (3) quia circa messium & vindemiarum tempus annona solet esse remissior, solentquè tum boni patresfam. rem suam familiarem prudenter instruere. Hanc rationem adeò nonnulli DD. attendunt & extendunt, ut feriis messium & vindemiarum etiam illis in regionibus locum esse statuant, in quibus nullæ vites, nullumque frumentum nascitur, ut nimirum eô tempore de vino meliùs sibi incolæ prospiciant, vel aliunde frumendum sibi comparent, *Donell. lib. 24. com. J. Civ. c. 7. ibiq́ Hillig.*

§. IIX. Nec obstat *l. 1. ibi: obcupati. ff. de fer.* Distinguimus enim *cum Dn. Hahn. ad Wesenb. de fer. n. 7.* inter causam

fina-

finalem ejusmodi feriarum, quæ est obcupatio plurimorum hominum tum temporis circa rem rusticam; & inter impulsivam, quæ est obcupatio litigantium. Jam cessante licet causâ impulsivâ, non tamen cessat finalis. Vel dicendum, Exceptionem hanc prodesse omnibus secundum principia à natura legum deducta, quæ feruntur de iis, quæ contingunt ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *l. 3. 4. ff. de LL. Gl. ad l. 1. de fer. Bach. D. 2. §. 9.* vide *Accurs. in l. 1. verb. obcupati. ff. de fer. Jason. ibid. n. 1. Specul. d. l. §. 1. n. 8. Innoc. ad c. 5. n. f. X. de fer. Greva. concl. 53. cons. 2. n. 21.*

§. IX. Ad effectum illarum profanarum feriarum, quas nundinas suprà diximus, pertinet, quòd mercatores iis durantibus à civibus illius loci, ubi nundinæ habentur, privati debiti nomine conveniri aut arrestari nequeant, *l. un. C. de nund. Nov. 52. c. 1. Coler. de proc. Exec. P. 2. c. 3. n. 163. Nov. Elect. August. p. 1. const. 30.* §. wir wollen aber sonderlich. *Dn. Carpz. def. 23.* qui illud in nundinis tantùm solennibus obtinere, & in solatium mercatorum solùm, non verò aliorum civium, qui mercatores non sunt, introductum esse statuit, licet debitum in ipsis nundinis sit contractum, ne commercia & negotiationes impediantur.

CAPUT VIII.

DE AFFINIBUS.

Affinitatem cum Exceptione feriarum habent omnes ferè illæ Exceptiones, quibus judicia ad aliquod tempus differuntur; & passim in jure nostro obcurrunt. Hinc etiam materia dilationis & feriarũ sub uno rubro in ff. tractatur, & in Codice Jureq; Canon. proxumè invicem sequuntur. Sed circa hæc prolixiores jam esse haut placet.

CAPUT IX.

DE CONTRARIIS.

§.I. Diebus feriatis imprimis contrariatur, si illis actus contentiosæ jurisdictionis exercentur, aut si juribus & Exceptionibus feriarum renunciatur.

§ II. Licet enim observantia feriarum in honorem DEI introductarum in certis casibus statutô vel consuetudine limitari & temperari queat, nequit tamen ipsi renunciari vel planè cultus DEO debitus tolli & omninò abrogari. *Dn. Struv. J C.S.de fer.* etiamsi consentiant Princeps ac partes litigantes, *c.f.in verb ut consentientibus.X. de fer.l.omnes judices. C.de fer.l.f.C.eod.* (1) quia lege morali, quæ æterna & immutabilis est jubemur diem dominicam sanctificare, & ab omnibus profanis operibus & negotiis tunc acquiescere. (2.) quia legis antiquæ constitutionem & J. divini dispositionem homines tollere nequeunt. (3.) quia feriæ in honorem reverentiamque Dei constitutæ principaliter cultum divinum, non partium favorem concernunt, *c.f.X. de fer.* nequit autem pactis privatorum juri publico quidquam derogari, *cap.si diligenti 12.X.de for.compet.l juspubl.38.de pact.vid.Geil.1.O 53. Menoch arb.jud.quæst.lib.1.cent.1.cas.30.n.12.Robert.Marant.p.4. dist.16.à n.63 usq; ad f.Hier.à Caval.l.quæst.pract.260.n.11.12.& 13.*

§. III. Nec obstat quod id, quod J. Civili introductum est, contrariô Jure tolli possit, *§.f.Inst,de leg.agn.tut.§.pen.I.de J.N.G.& C.* Feriæ autem pleræque sacræ exordinatione hominum atque instituto civili descendant. Respondet enim ad hoc *Riminaldi* argumentum *Macrobius*, licitum esse J. Civ. aliquid statuere ad cultum divinum augendum, non verò tam facilè ad eundem minuendum. Et variari quidem posse certis & sufficientibus de causis sacra festa, non tamen tolli, quòd non simplici J. Civili, sed etiam divinô introductæ sint. *Hun. v.1.d.5.§.9.*

§. IV. Nec obstat etiam *l 1.ff.de fer.* quæ in genere probare videtur, quod partes possint feriis renunciare, cum illa

pro

pro substrata materia sit capienda de feriis profanis ad utilitatem hominum ordinatis & institutis.

§. V. Nec movet denique, quòd consuetudo faciat, ut valeant v. g. acta tempore nundinarum, quæ in dies festos inciderunt; atque ita jus humanum possit limitare jus divinum, *Marant. in Spec. aur. p. 4. d. 16. in f.* Respondet enim *Parlador. lib. 2. rer. quotid. c. f. p. 5. §. 4. & Covarruv. lib. 4. variar. resol. c. 19.* posse actus judiciarios & horum similes diebus festis agitari, si urgens causa id suadeat, qualis est, si solennes nundinæ in dies festos inciderunt, vel necessitas & pietas subsit, *c. f. X. de Fer.*

§. VI. Quod ferias profanas & quidem messium ac vindemiarum attinet, possunt ipsæ partium litigantium consensu (ubi consensus quoque judicis ne excludatur, cùm & ipsi prosint hæ feriæ, desiderat *Dn. Franzk.*) remitti, *l. 1. §. 1. ibi. sponte venerint. l. 6. verb. nisi ex voluntate. ff. de fer. cap. f in verb. f. X. eod.* Sunt enim Principaliter in favorem partium & privatorum introductæ, cui renunciare licet, *l si quis. 29. circa f. C. de pact.* Et cum feriæ velint neminem invitum hoc tempore in jus vocari debere, hinc argumentô à contrariô sensu ductô, si nimirum partes consentiant, possunt in jus vocari, *l. 1. ff. de fer. Hun. vol. 1. d. 5. §. 9.*

§. VII. Illis feriis, quas repentinas suprà vocavimus, haut tam facilè renunciari posse, cùm magis ad publicum quàm privatum spectent favorem, *l. sed et si. 26. §. si feria. 7. ff. ex quibus causis maj. l. 3. C. de dilat.* juri autem publico renunciari nequeat, *l. 38. ff. de pact.* putant *Zanger. p. 2. c. 7 n. 10. 11. de Except. Chil.* König *in process. cap. 42. n. 33. Vultej lib. 2. jurispr. Rom. c. 30. n. 49. Sebast. Nav. ad l. 6. ff. de fer. Bocer. class. 5. d. 2. §. 22. Hun. v 1. d. 5. § 9.*

§. VIII. Alterum, quod feriarum naturæ repugnat, in

illisque exerceri prohibetur, sunt actus contentiosæ Jdictionis, *l. f. C. de fer.* Voluntariæ enim jurisdictionis actus diebus feriatis exerceri posse, cum causæ cognitionem & disceptationem haut adeò desiderent, *l. 8. C.d.t.* ex suprà dictis cum constet, temporis rationem habituri prolixiùs hîc repetere veremur, sed potiùs pedem hîc sistimus.

§. IX. Atque hæc sunto, quæ pro instituti ratione & ingenii modulo de celebri hâc materia, Exercitii Academici ergò disserere voluimus. Multa equidem fusius accuratiusque tractari debuisse ac potuisse haut diffitemur; verùm cum pauxillum temporis nobis ad elaborationem & tractationem hujus materiæ fuerit relictum, Laconicæ brevitati ut litaremus coacti fuimus, eâque ipsâ de causâ nobis promittimus B.L. amiciori hæc adspecturum oculo, faciliùsq; daturum veniam, sicubi fortè expectationi ipsius per omnia non fuerit satisfactum. Interim

DEO SIT LAUS ET GLORIA!

ADDITAMENTA EX JURE PUBLICO.

I.

IMperium hodiernum rectè adhuc dicitur Romanum. *Otto. in J. publ. c. 5.*

II.

Civitatibus imperialibus in comitiis jus votandi competit. *Syring. de pac. relig.* §. 39.

III.

Electionem subcessioni præferendam esse putat *Carpz. in Cap. Cæs. c. 1. n. 3.*

IV. Po-

IV.

Poteſt Elector ſe ipſum eligere. *Arum. Diſc. 2. ad A. B. §. 23.*

V.

Electores imperii alicui non Germano ſceptrum Imperii Romani non poſſe committere putat *Georg. Sabin. in Hiſt. Elect. Car. V.*

VI.

Licet Imperator coram Electore Palatino conveniri poſſit, & de juſtitia reſpondere teneatur, non tamen per hoc ejus majeſtas imminuitur. *Petr. de Andlo. Lib. 2. c. 10. de Imp. Rom.*

VII.

Si vivente adhuc Patre Electore, ejus Filius Primogenitus deceſſit relictô filiô, hic præfertur in Electoratu ſecundo genito. *Quirin. Cubach. lib. 2. Jprud. publ. c. 31. n. 8. 9. & 10.*

IIX.

Judæi in republica tolerari poſſunt. *Natta cons. 620. n. 22.*

IX.

Qui vinum aut cereviſiam per loca vectigalium transvehunt, ipſa aperire dolia & partem vini aut cereviſiæ ex iis pro vectigalibus ſolvere nequeunt. *Bocer. in Tr. de Regal. c. 2. n. 196.*

X.

Subditi privilegio de non evocando renunciare haut poſſunt. *Sibrad. de feud. p. 10. Sect. 1. n. 201.*

XI.

XI.

Etsi Protector longissimô tempore suô protectionis jure non fuerit usus, non tamen jus protectionis amittet. *Enenkel. de privil. c. 15. n. 31. lib. 3.*

XII.

Protector si tempore necessitatis clientes suos defendere ampliùs non potuit, jure protectionis inde non privatur. *Georg. Everhard. cons. 56. n. 114.*

XIII.

In una republica diversæ religionis homines omninò esse possunt. *Felic. Biedenbach. Decad. 1. cons. 1.*

PRÆSTANTISSIMO AC POLITISSIMO
DN.
IOH. GEORGIO Zentgraffen/
J. U. Cultori indefesso
Publicè disputaturo
S. P. D.

Quò Patriæ constet, Charites quàm sint TIBI curæ,
Conscendis Cathedram. Præmia larga feras.

gratulabundus scribebam
Joh. Ernestus Gerhardus,
SS. Th. D. & PP.

FINIS.